

vulnera mutilationes membrorum, damna per ignes & fulta in re domestica, & Chemia eo tempore experietur.

Sic circa ultimam Aprilis diem Sol aduersis Lunæ radijs in genesi motu suo occurrit. Quare tum quoque à Lunaribus rebus & personis in significatis secundæ domus aduersa nato pericula damnaque & odia nato imminébunt.

Verùm à quarta die Maij, qua benigno Iouis Trigono Sol offertur usque ad 23 anni eiusdem, qua ad hexagonum suum diuertit prospera omnium rerum & actionum secundæ domui subiectarum incrementa natus sentiet. Tum lucra splendida & honesta à magnatibus & diuitibus, religiosis ac principibus uiris speranda, natus consequetur. Atque hæc eadem iudicandi procedendiq; Methodus, adhibita inferius subiecta tabula, cum Ephemeride pro motu solari, in reliquis omnibus domiciliorum genethlianorum iudicijs obseruanda est.

Quam rationem etiam nos non omnino improbamus sunt enim in ea pleraque physicis consentanea rationibus, quas & nos supra in considerando transitu stellarum per septuaginta duo loca geneseos, secuti sumus: Tamè ad fidem meam pertinere duxi, quid in ea erroneum aut alienum à præceptis ac rationibus Astrologicis esset significare.

Sicut autem non negamus magnam ac penè præcipuam esset tum in alterandis qualitatibus in corporibus, tum in inclinationibus quoque animorum diuersis cingendis, uim solaris luminaris: Ita non concedimus ediuerso, cum Sol pro diuerso posito in figuris genethliacis diuersas uires significationes sortiatur, ab eo perpetuo primæ domus initium sumendum esse.

Nam ita demum Physicis in hac arte rationibus indulgendum est, ut Astronomiæ tanquam reginæ ac dominæ huius, suus quoque honos locusque tribuatur, nec alia prima domus nato statuenda, quam ea, quam natura ac ratio motus cœlestis nato prodeunti in lucem, artisque Astronomicæ certi primam fecere.

Postea, ut supra, censeo transitus Solis per singula cœlestis thematis domicilia, quod nascenti primum affulsit considerandos esse. Ut in natiuitate proposita de euentibus annuis rerum & actionum primæ domus per transitum solis ab Horoscopo à 26 parte ♀ usque ad 26 ♁ adhibita, ut supra, tabula inferius posita & Ephemeride, motus Solis iudicandus est. Pro rebus uero & actionibus secundæ domus sole transeunte à 26 ♁ usque ad 26 Scorpij iudicium faciendum est, eodem prorsus modo ut supra docuimus tantum ueris initijs ex cœlestis thematis, quod nato prodeunti in lucem fulsit, constitutione desumptis, lumina quoque stellarum & tempora prospera aut maligna, ut supra, indaganda sunt. Hæc uera est ratio quam Tequeris, nihilque habet diuersum à priore præterquam quod ueram retinet ac naturalem domorum cœli constitutionem, quæ luxit nascenti.

Tabula

A grid table with 12 columns and 12 rows containing astrological symbols and numbers. The symbols include zodiac signs (♈, ♉, ♊, ♋, ♌, ♍, ♎, ♏, ♐, ♑, ♒, ♓) and house numbers (I, II, III, IV, V, VI, VII, VIII, IX, X, XI, XII). The table is partially obscured by a watermark.